



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. II. De Fratре Heinricho Walpote primo Magistro Hospitalis S. Mariae.  
Domus Teutonicae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

- (f) *Ralender* / habet Jeroschinus.  
 (g) Cælestinum III.  
 (b) Equitum S. Johannis, qui hodie Maltenses dicuntur, instituta data sunt Ordini Teutonico, ut ex eorum præscripto Pauperibus & ægrotis inserviretur: Templariorum verò instituta ut secundum ea Equitum & Clericorum Ordinis Teutonici vivendi ratio institueretur.  
 (i) Interior Fratrum tunica fuit nigri coloris, pallium verò album, Cruce nigra insignitum.  
 (k) Fortasse legendum: *Vili cibo*.  
 (l) In Exemplari Regio montano inserta reperitur Vox: *Ephebar*, sed nullo sensu. Nec Elbingense Exemplar aliam vocem agnoscit.  
 (m) Accingentes, pro accincti. Non raro namque apud antiquos scriptores Verba activa sumuntur pro Passivis, ut Virgil. lib. 2. *Aneid. Accingunt omnes operi*. Et l. i. *Aneid. v. 275. Aurora in roseis fulgebat lutea bigis. Cum venti posure*. Sic & alii passim.

## C A P. II.

De

*Fratre Heinrico Walpote primo Magistro Hospitalis S. Mariae Domus Teutonicae.*

**F**RATER Henricus (a) dictus Walpote Magister primus Hospitalis S. Mariae domus Teutonicorum Hierosolymitani præfuit (b) multis annis, & obiit (c) nono Calendas Novembris & sepultus est Accon. Huic Cives Bremenses & Lubecenses qui primi hujus Ordinis fuerant fundatores, ut dictum est, dum completo peregrinationis suæ voto ad propria vellent redire, de consilio Domini Friderici Ducis Sæviæ prædicti & aliorum Nobilium de Almannia, qui fuerunt in obsidione Civitatis Acconensis, dictum Hospitale cum omnibus elemosynis & attinentiis, quæ tunc sufficientes erant, præsentabant; ubi dictis

in-

infirmis, cum suis fratribus humiliter serviebat sed post (d) capti-  
onem Civitatis Achonenſis prædictæ, idem Frater Henricus  
emit quendam hortum, infra muros ante portam S. Nicolai, in  
quo Eccleſiam & Hoſpitale & manſiones diverſas extruxit, Deo  
ibi cum ſuis fratribus ſerviens & infirmis. In qua Eccleſia idem  
Dux Fridericus (e) de Svevia in itinere peregrinationis mortuus  
eſt & ſepultus, quia dum viveret elegit ibi Eccleſiaſticam Sepul-  
turam.

## ANIMADVERSIONES.

## AD CAPUT II.

- (a) Caspar Schüz eum ſic appellat: Heinrich Walpott von Paſſen-  
heim / tum in Catalogo Magiſtrorum Chronici præfixo, tum lib. I.  
Chron. fol. 15. 6. ſin. Eodem modo habet hoc ipſum & Johannes  
Freyberg in Chron. Pruſſ. MS. Undè verò hæc habeant apud an-  
tiquiores reperire non potui; Suspiciari tamen licet, Schuzium &  
Freybergium ita ipſum appellare, quoniam ſecutiſ temporibus  
quidam Walpotii, adhuc Magiſtrum genus ſuum referentes, hoc  
nomine gavifi ſunt. Nam Privilegium Paſſenheimenſibus Anno  
1386. datum, ſubſcripſit inter alios Sigefridus Walpot von Paſſen-  
heim / Oberſter Spittler und Compther zu Elbing. Nobili lo-  
co primum hunc Magiſtrum fuiſſe natum aſſerit auctor Chronici  
Ordinis fol. 13. b.
- (b) Decem annos ipſi assignat Chronicon Ordinis. Electum enim eum  
eſſe dicit in Caſtris ad Acconam Anno 1190. die 9. Novembr.  
Mortuum autem An. 1200. fol. 24. b.
- (c) Diem obitus primorum illorum Magiſtrorum habet Duſburgius ex  
Anniverſariis ſacris. Singulis enim annis Ordo Teutonicus Me-  
moriam Magiſtrorum optimè meritorum celebrabat, ut adhuc in  
Antiquis cruciferorum Faſtis videre licet.
- (d) Expugnarunt Chriſtiani Acconam ſive Ptolemaida An. 1191. d. 15.  
Julii, ut habet Chronicon Ordinis fol. 15. b.
- (e) Anno 1193. Chron. Ord. fol. 16. b. In inſignibus ſuis ex Conceſſio-  
ne Pontificis Romani habuit Crucem nigram.

CAP.